Vicipædia

Lingua Mandarina

Lingua Mandarina[1] (官話 *guānhuà*, hoc est 'magistratuum sermo') est linguae Sinensis forma normalis quae nationalis seu communis late et lege habetur et per orbem terrarum docetur. Una est linguarum Sinicarum, quae divisio constituunt familiae Sinotibetanae.

In Sinis continentalibus, Honcongi, Macaique plerumque appellatur Putonghua ((Pinyin) Pǔtōnghuà; (Sinice simplificato / translaticio) 普通话 /普通話), quod ad litteram significat "universalem communicationis loquelam"[2]. Etiam praecipue in Taivania, et interdum in continente et Honcongi, appellatur guoyu ((Pinyin) Guóyǔ; Sinice simplificato / translaticio) 国语 / 國語) quod ad litteram significat "nationalem linguam" seu "regni linguam".

Lingua normalis, quamquam eius propositum est ut eadem sit ubique, nihilominus in pronuntiatu et vocabulario per territorium Sinense variat. Et quamquam lingua normalis pronuntiatus fundamenta in dialecto Mandarina Pechinensi habet, versio normalis quae in continente extra Pechinum et in Taivania docta est multo discrepat a dialecto qua ipsi cives Pechinenses loquuntur. Etiam divisiones socio-politicae quae annis 1950 inter Continentem Sinensem, Honcongum, Macaum, et Taivaniam habentur, efficerunt ut lingua normalis Mandarina in eis locis docta inter se discrepare plene visa sit, usque in systemate scribendi, quia in continente characteribus simplificatis a communistis citatis scribunt dum extra continentem characteribus translaticiis.



Signum viarium dicens "siste"

Index

Historia

Usque saeculum vicensimum fere omnes litterae Sinicae linguá Sinicá Classicá scriptae sunt et fuit lingua Classica, neque sermo vulgaris, cui discipuli in scholis et universitatibus studebant. Litterae vulgares haud umquam visae sunt ante Motum Maiensem Quarti Diei anno 1919. Quamobrem linguae Mandarinae origo evolutioque incerta est, et hodie plerumque solum ex studiis historicis, linguisticis et archaelogicis deducitur.

Nihilominus, lingua Mandarina iam saeculo tertio decimo e lingua Sinica Media oritur, quod liber rhythmorum nomine *Zhongyuan Yinyun* anno 1324 editus plene demonstrat. Et iam saeculo decimo sexto hic sermo locum magni momenti habuit apud Sinas. Scripsit Matthaeus Riccius in libro nomine "De Christiana expeditione apud Sinas suscepta ab Societate Iesu" (1617), vol. 1, p. 31: "Praeter hunc tamen cuique Provinciae vernaculum sermonem, alius est universo regno communis, quem ipsi Quonhua vocant, quod curialem vel forensem sonat." Quidem magistratus Sinici, qui Mandarini tunc vocabantur, communi loquela Guānhuà late nuncupata usi sunt, qua propter hodie haec lingua *Mandarina* extra Sinas appellatur.



Zhongguo Guanhua (中国官话/中國官話), vel *Medii Regni Communis Loquela* titulus qui monstratur in pagina prima grammaticae Sinicae libri quem Étienne Fourmont (cum Arcadio Huang anno 1742 eddidit[3]

Jin Shengtan, late primus Sinicus vulgarum litterarum dux agnitus, varias mythistorias Mandarine vulgari scripsit saeculo decimo septimo. Haec autem lingua definitione certa omnino carebat. Anno 1728 quidem imperator Yongzheng, qui pronuntiatus magistratuum abs Guanddong et Fujian non intellegebat, decrevit gubernatores provinciarum providere ut pronuntiatum proprium doceant. Libri huius eruditionis causae tunc editi nobis hodie dant indicia idealium pronuntiatuum linguae Mandarinae illius aetatis et quoque demonstrant illam linguam normalem decretam fuisse velut linguam Graecam antiquam communem, quia idem ac nulla lingua vernacularis tunc locuta erat, sed synthesim dabat omnium dialectorum Mandarinarum prope Nanchinum.

Haec forma dialecto Nanchinesi annixa diu magni aestimata est, etsi caput Sinense anno 1421 ad Pechinum motum est. Robertus Morrison cum primum lexicon Sincum-Anglicum anno 1815 scripsit, eius lexicon quidem de hac dialecto Mandarina Nachinensi tractavit. Morrison nihilominus scripsit dialectum Pekinensem in annos maiorem gratiam apud Sinas capere, normamque novam aemulam ostendere. Medio saeculo decimo nono quidem, iam dialectus Pekinensis vicit, quod necessarius erat dialecto Pekinensi loqui ut negotium fori imperiali habeatur.

Diebus priscis Rei Publicae Sinarum eruditi Hu Shih, Lu Xun, Chen Duxiu, Qian Xuantong et alii litteras vulgares citantes propusuerunt linguam Classicam a lingua Mandarina normae Mandarinae septentrionali annixa surrogari. Simul hi viri sentiebant normam definiendam esse linguae nationalis (translaticio: 國語; Wade–Giles: Kuo²-yü³; simplificato: 国语, pinyin: Guóyǔ). Post multas disputationes inter eos qui dialectos septentionales et qui meridionales velut normam citaverunt et conatum abortivum ad pronuntiatum artificiosum definiendum, tandem Commissio ad Lingam Nationalem Unificatam Definiendam Dicata anno 1932 decernit trahere

- normam pronuntiatus e dialecto Pekinensi
- normam grammaticam idiomaticamque ex operibus Lu Xun et aliis hordiernis litteris vernaculis (quae Mandarine bai1hua4 appellantur)
- normam lexicalem ex universis dictionibus omnium dialectorum Mandarinarum.

Ubique eadem lingua Mandarina normali uti putatur, sed differentiae existunt scripturae systemate et nomenclatura. Res Publica Popularis Sinarum anno 1949 condita hanc normam asservavit eam nuncupans pǔtōnghuà (translaticio: 普通話; simplificato: 普通话), hoc ad litteram "loquela communis" significante, quamquam eam in Taiwania usque hodie Guóyǔ nuncupatur. Etiam annis 1954 et 1964 reformae ab communistis susceptae effecerunt ut characteres simplicificati in continente, Malasia et Singapura adhibeantur quamquam in Taiwania et Honcongi characteres translaticii.

Litterae

Vera Fabula de Ah Q scripta anno 1922 a Lu Xun plerumque hodie agnoscitur primum opus quod lingua Mandarina plene usum est.

Scriptura



Lu Xun qui inter principales fautores Linguae Vernacularis fuit.

Lingua Mandarina characteribus Sinicis vulgo scribitur, cuius historia ab antiquitate delineatur. Quia autem characteribus difficile huius linguae soni redduntur, hodie exsistunt complura systemata phonetica quo discipuli linguae sonos discere possunt.

Litteratura phonetica

Omnia systemata phonetica quo lingua Sinica scribatur praeter litteraturam Zhuyin fundamenta in litteris Latinis habent. Ut scriptura Sinensis in orthographiam Latinam reddatur, lege hodie sancta est litteratura Hanyu (Hànyǔ Pīnyīn / 汉语拼音 / 漢語拼音). Inscriptiones cursuales saepius autem secundum systema Wade-Giles aut Romanizationem cursualem Sinicam redduntur. Et complures Sinenses extra Sinas nomina eis transcribunt secundum Wade-Giles.

Litteratura Hanyu a communistico continentis Sinensis regmine anno 1958 primum excogitata est, et postea sancta et citata est ab ipso ut discipuli in Sinis pronuntiatu linguae Mandarinae normalis discere possint. Etiam ut norma internationalis tandem adoptata est ab Internationali Normarum Organizatione (ISO) anno 1982 et ab Taiwaniae regimine anno 2009, ut hodie paene ubique agnita est ut modus quo lingua Mandarina in litteras Romanas scribi potest. Etiam hodie usurpatur ut textus in computatra et telephonula inserantur. Peregrini autem interdum alia litteraturarum systemata malunt ut discant cum ea proprius Europeis litterarum normis propinquent, sicut litteraturam Wade-Giles et Gwoyeu Romatzyh.


Inter se systemata litteraturarum discrepant in quo modo verba et toni linguae denotantur. Wade-Giles numeris post syllaba superscriptis utitur; Hanyu accentis super vocalia superscriptis vel numeris in linea post syllabam scriptis; Gwoyeu Romatzyh autem litteras e, r, h, aut y addit, vocalia repetit, vel i in e aut y et u in o aut w mutat ut toni indicentur.

Tabula quae sequitur nonnullas huius linguae syllabas variis litteraturarum systematis scriptas ostendit:

Zhuyin	Wade-Giles	MPS II	Yalensis	Tongyong	Hanyu	Gwoyeu Romatzyh			
						Tonus 1	Tonus 2	Tonus 3	Tonus 4
ㄚ	a	a	a	a	a	a	ar	aa	ah
ㄞ	ai	ai	ai	ai	ai	ai	air	ae	ay
ㄢ	an	an	an	an	an	an	arn	aan	ann
ㄤ	ang	ang	ang	ang	ang	ang	arng	aang	anq
ㄠ	ao	au	au	ao	ao	au	aur	ao	aw
ㄓㄚ	cha	ja	ja	jha	zha	ja	jar	jaa	jah
ㄔㄚ	ch'a	cha	cha	cha	cha	cha	char	chaa	chah
ㄐㄧ	chi	ji	ji	ji	ji	ji	jyi	jii	jih
ㄑㄧ	ch'i	chi	chi	ci	qi	chi	chyi	chii	chih
ㄐㄧㄚ	chia	jia	jya	jia	jia	jia	jya	jea	jiah
ㄑㄧㄚ	ch'ia	chia	chya	cia	qia	chia	chya	chea	chiah
ㄓㄨㄚ	chua	jua	jwa	jhua	zhua	jua	jwa	joa	juah
ㄔㄨㄚ	ch'ua	chua	chwa	chua	chua	chua	chuar	chuaa	chuah
ㄓㄨㄞ	chuai	juai	jwai	jhuai	zhuai	juai	jwai	joai	juay
ㄈㄣ	fen	fen	fen	fen	fen	fen	fern	feen	fenn
ㄏㄜ	ho	he	he	he	he	he	her	hee	heh
ㄒㄧ	hsi	shi	syi	si	xi	shi	shyi	shii	shih
ㄒㄧㄚ	hsia	shia	sya	sia	xia	shia	shya	shea	shiah
ㄒㄩㄢ	hsüan	shiuan	sywan	syuan	xuan	shiuan	shyuan	sheuan	shiuann
ㄍㄨㄤ	kuang	guang	gwang	guang	guang	guang	gwang	goang	guanq
ㄎㄨㄤ	k'uang	kuang	kwang	kuang	kuang	kuang	kwang	koang	kuanq
ㄇㄧㄠ	miao	miau	myau	miao	miao	mhiau	miau	meau	miaw
ㄋㄧㄡ	niu	niou	nyou	niou	niu	nhiou	niou	neou	niow
ㄋㄨㄛ	no	nuo	nwo	nuo	nuo	nhuo	nuo	nuoo	nuoh
ㄋㄡ	nou	nou	nou	nou	nou	nhou	nou	noou	now
ㄋㄨ	nu	nu	nu	nu	nu	nhu	nu	nuu	nuh
ㄋㄩ	nü	niu	nyu	nyu	nü	nhiu	niu	neu	niuh
ㄕㄨㄟ	shui	shuei	shwei	shuei	shui	shuei	shwei	shoei	shuey
ㄙ	ssu	sz	sz	sih	si	sy	syr	syy	syh
ㄙㄨ	su	su	su	su	su	su	swu	suu	suh
ㄙㄨㄢ	suan	suan	swan	suan	suan	suan	swan	soan	suann
ㄙㄨㄟ	sui	suei	swei	suei	sui	suei	swei	soei	suey
ㄊㄨㄢ	t'uan	tuan	twan	tuan	tuan	tuan	twan	toan	tuann
ㄉㄨㄟ	tui	duei	dwei	duei	dui	duei	dwei	doei	duey
ㄊㄨㄟ	t'ui	tuei	twei	tuei	tui	tuei	twei	toei	tuey
ㄉㄨㄣ	tun	duen	dwen	dun	dun	duen	dwen	doen	duenn
ㄊㄨㄣ	t'un	tuen	twen	tun	tun	tuen	twen	toen	tuenn
ㄗ	tzu	tz	dz	zih	zi	tzy	tzyr	tzyy	tzyh
ㄘ	tz'u	tsz	tsz	cih	ci	tsy	tsyr	tsyy	tsyh
ㄨㄚ	wa	wa	wa	wa	wa	ua	wa	waa	wah

ㄨㄞ	wai	wai	wai	wai	wai	uai	wai	woai	way
ㄨㄢ	wan	wan	wan	wan	wan	uan	wan	woan	wann
ㄨㄛ	wo	wo	wo	wo	wo	uo	wo	woo	woh
ㄨ	wu	wu	wu	wu	wu	u	wu	wuu	wuh
ㄧㄚ	ya	ya	ya	ya	ya	ia	ya	yea	yah
ㄧㄢ	yan	yan	yan	yan	yan	ian	yan	yean	yann
ㄧㄤ	yang	yang	yang	yang	yang	iang	yang	yeang	yanq
ㄧㄠ	yao	yau	yau	yao	yao	iau	yau	yeau	yaw
ㄧㄝ	yeh	ye	ye	ye	ye	ie	ye	yee	yeh
ㄧㄣ	yin	yin	yin	yin	yin	in	yn	yiin	yinn
ㄧㄥ	ying	ying	ying	ying	ying	ing	yng	yiing	yinq
ㄧㄡ	yu	you	you	you	you	iou	you	yeou	yow
ㄩㄥ	yung	yung	yung	yong	yong	iong	yong	yeong	yonq
ㄩ	yü	yu	yu	yu	yu	iu	yu	yeu	yuh
ㄩㄢ	yüan	yuan	ywan	yuan	yuan	iuan	yuan	yeuan	yuann
ㄩㄝ	yüeh	yue	ywe	yue	yue	iue	yue	yeue	yueh
ㄩㄣ	yün	yun	yun	yun	yun	iun	yun	yeun	yunn

Characteres Sinici



Comparatio variarum scripturarum Sinicarum. A dextra parte ad sinistram: scripturae sigillorum, clericalis, normalis, Ming et sans-serif. His quattuor characteribus (天地玄黃 *tiān dì xuán huáng*) incipit liber scholasticus antiquus *Qianziwen* ("Classicus characterum mille").

Secundum fabulam sine auctoritate, characteres Sinicos primum cominiscit grapheocrates nomine Cangjie, qui laborabat regnante imperatore fabuloso Huangdi. Fabula dicit Cangjie monte Yangxu (hodie Shanxi) venantem vidisse testudinem cuius venae animadversionem eius cepit. Possibili relatione logica inter eorum venas animatus, Cangjie tunc orbis terrarum animalia, agros, stellas, et omnia sub caelo et in caelo investigavit et cominiscit systema symbolica appellatum *zì* (字) — illos characteres Sinicos. Hoc die natali characterum, secundum fabulam, Sinenses omnes diabolum lugentem audiverunt, fruges ex caelo sicut pluvias cadentes viderunt, et incepit mundum.

Alii characteres putantur origines habere in rei imaginis descriptionibus (pictogrammata), alii in arbitrariis depictionibus notionum abstractae (ideogrammata), alii in compositionibus aliorum characterum. Omnes per aetates commutantur, simplificatur, amplificatur.

Character simplicissimus est 一 *yī* ("unus") qui unam solam plagam horizontalem habet. Frequentissimus autem est 的 *de*, particula grammatica positum post verbum, quae 8 plagas habet et fungitur ut adiectivum vel possessio indicentur, et quae saepe valet idem ac genetivum Latinum. Aestimatur medius plagarum numerus quoque in characteri esse 9.8;[4] incertus autem est utrum characteres translaticii inclusi sunt in hoc censo, et si accurate aestimatur.

Hodie sunt complures modi vel stili vel scripturae quibus characteres Sinici scribi possunt, qui derivati sunt a certis exemplaribus vel calligraphicis vel historicis. Plurima eorum origines in Sinis habent et nunc ubique ubi characteribus Sincis utuntur (variationibus minoribus) communes sunt.


Nonnulla ideogrammata constant in pictogrammatis simplicis quae mutantur ut notiones cognates indicentur. E.g. pictogramma 刀 *dāo*, quod "culter" significat, mutatur indicando aciem cultri, ut ideogramma 刃 *rèn* "acies" significans obtinatur. Alia ideogrammata sunt omnino abstracta sicut 上 *shàng* "sursum" et 下 *xià* "deorsum". Huic categoriae autem sunt pauca verba.

Plurimi autem (>98%) characteres sunt compositiones aliorum characterum.

Fere 13% sunt composita ideogrammatum: e.g. 日 rì "sol" combinatum cum 月 yuè "luna" creat 明 míng "lucidum". Item 休 *xiū* "quiescere" compositum est a pictogrammatis 人 *rén* "homo" et 木 *mù* "arbor"; et 好 *hǎo* "bonum/bene" compositum est a pictogramatis 女 *nǚ* "femina" et 子 *zǐ* "filius".

Fere 85% sunt composita phono-semantica, quibus alia pars indicat sonum, alia pars significatum aut categoriam semanticam, etc.: e.g. 河 *hé* "flumen", 湖 *hú* "lacus", 流 *liú* "amnis", 沖 *chōng* "profluvium", 滑 *huá* "lubricus" una habent idem radicalem trium plagarum ad laevam partem qui significat flumen et ad dextram partem characterem qui pronuntiatum et specialem significationem suggerit. Quia

complures characterum partes olim in lingua Sinica vetere significatum clarum habebere demonstratae sunt, sed hodie sine alio significatu solum ad sonum monstrandum funguntur, nonnulli linguistae hodie sentiunt omnes huius generis characteres item evolvere. Etiam hodie nova vocabula creantur per hoc mechanismum: e.g. 钚 *bù* "plutonium" significans compositum est ab radicale 金 *jīn* "metallum" cui additur componens 不 *bù* quod merum sonum indicat (ipsum usitate "non" significaverit, sed hic solum sonum significat). Sic fere omnia vocabula scientifica formatur et quoque fere omnia nova vocabula ex alienis linguis mutuata.



Exemplum scripturae cursivae characterum Sinicorum quam calligraphus Sinicus Sun Guoting fecit c. annum 650 (Dynastia Tang).

Numerus characterum quoque in anno tanto augitur ut anno 2004 habuerint 106 230 characterum in lexico Sinense *Zhonghua Zihai*.

Numerus characterum in lexicis Sinicis[5]


Anno	Lexicon	Numerus characterum
100	*Shuowen Jiezi*	9 353
543?	*Yupian*	12 158
601	*Qieyun*	16 917
1011	*Guangyun*	26 194
1039	*Jiyun*	53 525
1615	*Zihui*	33,179
1716	*Kangxi Zidian*	47 035
1916	*Zhonghua Da Zidian*	48 000
1989	*Hanyu Da Zidian*	54 678
1994	*Zhonghua Zihai*	85 568
2004	*Yitizi Zidian*	106 230[6]

Apud characteres complexissimos saepe hodie adhibitos sunt 籲 *yù* "comprecari", 32 plagis; 鬱 *yù* "luxuriosus, delicatus, maestus", 29 plagis, sicut in 憂鬱 *yōuyù* "demersus", 15 et 29 plagis, invicem; 豔 *yàn* "coloris plenus", 28 plagis; et 釁 *xìn* "iurgium", 25 plagis, ut in 挑釁 *tiǎoxìn* "provocare". Etiam in usu hodierno est 鱻 *xiān* “viridis/recens” (altera characteris 鮮 *xiān* versio) 33 plagis. Complexissimus autem character qui in computatra per *Microsoft New Phonetic IME 2002a for Traditional Chinese* imponi potest est 龘 *tà* "aspectus draconis ambulantis"; qui ex radicali draconis ter scripto componitur, ut 16 × 3 = 48 plagorum obtineatur.

Complexissimus autem omnium characterum, secundum Joel Bellasen, est 𪚥/□ (U+2A6A5) *zhé* ausculta info (depictus subter ad laevam partem), qui significat "verbosus" 64 plagis; sed hic character ex quinto saeculo iam non in usu est. Complexissimus omnium interdum habetur esse character **biáng** (depictus subter ad dextram), 57 plagis, significans collyra Biang biang, species collyrae a provincia Shaanxi; sed cum hunc characterem invenire in lexicis mandarinis normalibus non possumus, fortasse melius character dialecticus habetur.



Zhé, "verbosus"



Zhèng (significato ignoto)



Nàng, "mala pronuntiatio propter obstructionem nasalem"



Taito, "aspectus draconis in volatu"



Biáng, specimen collyrae in Shaanxi

Characterum complexitas evidenter difficilem fecit eius eruditionem. Quamobrem varia litteraturarum systemata sicut litteratura Hanyu excogitatae sunt ad pronuntiatum discendum. Etiam post conditum rei publicae Sinarum, regimen Kuomintang studebat quomodo characteres Sinici simplificari possunt. Talis simplificatio e.g. iam exsistebat in scripturis cursivis sicut Caoshu.

Post autem secundum bellum mundanum et bellum Civile Sinicum, solum regimen communisticum continentem regens reformationem notarum simplificandarum legibus annis 1956 et 1964 effecit. Quo facto tunc duo systemata characterum lingua Mandarina normalis habet: illud simplificatum in usu in continente et Malaysia, et illud translaticium in usu in Taivania, Hongcongi, Macai.

Comparatio characterum Translaticiorum et Simplificatorum

character translaticius	character simplificatus	significatus
電	电	electronicus,electricitas
買	买	emere
開	开	apertus
東	东	solis ortus
車	车	vehiculum
紅	红	ruber (color)
無	无	nihil
鳥	鸟	avis
熱	热	calidus
時	时	tempus
語	语	lingua
聽	听	auscultare
證	证	diploma,evidentia
龍	龙	draco
賣	卖	vendere
龜	龟	testudo

Comparatio characterum Translaticiorum et Simplificatorum

character translaticius	character simplificatus	significatus
廣	广	latus
惡	恶	malus
豐	丰	abundans
腦	脑	cerebrum
雜	杂	miscellus
壓	压	pressio, compressio
雞	鸡	pullus
樂	乐	deliciae
氣	气	ae"r
廳	厅	aula,sedes
聲	声	sonus,vox
學	学	discere
體	体	corpus
點	点	punctum
貓	猫	cattus
蟲	虫	insectum

歲	岁	aestas,annus	舊	旧	vetus
戰	战	pugna,bellum	會	会	coe"tus
關	关	cludere,relatio	萬	万	decem milia
鐵	铁	ferrum,metallum	盜	盗	fur
圖	图	pictura,descriptio	寶	宝	thesaurus
團	团	grex,cohors	國	国	regnum,pagus,natio,civitas
轉	转	vertere	醫	医	medicina

Phonologia


Linguae Mandarinae normali omnia sunt phonemata quinguaginta et sex, quae combinantur omnino ut distinctarum syllabarum sola duo millia sexginta et quinque formare possint. Omnis syllaba dividitur in sonum et tonum.

Soni

Soni distincti omnes sunt quadringinta et tredecim. Sonus omnis ex duobus vel pluribus phonematis formantur. Primum phonema initiale appellatur et consonans est. Alterum finale appellatur et ex vocalibus et consonantibus vel nasalibus (e.g. -n vel -ng) vel liquido (e.g. -r) formatur. Haec omnia per symbola Mandarina phonetica triginta et septem scribi possunt.

Toni

Toni quattuor (vel quinque) sunt linguae Mandarinae: altus, surgens, mergens, cadens, et levis. Levis autem non tonus verus quam quod tonus omnino fere abest dicit: quamobrem tonus id appellari non solet.[7]



Quomodo dum syllabae Mandarinae distinctorum tonorum pronuntiantur vis pronuntiatus mutatur.

Toni Linguae Mandarinae Normalis

Nomen toni	Yin Ping *Altus*	Yang Ping *Surgens*	Shang *Mergens*	Qu *Cadens*
Numerus toni Pinyin	1	2	3	4
Symbolum diacriticum Pinyin	ā	á	ǎ	à
Littera IPA (et numeri correspondentes)	˥˥ (55)	˧˥ (35)	˨˩, ˨˩˦ (21, 214)	˥˩ (51)
Symbolum diacriticum IPA	á	ǎ	à, ã	â

Morphologia

Per morphologiam, intellegimus quomodo *morphemata* combinantur ut novae dictiones creentur. Celeberrimum exemplum morphologiae insulatoriae est lingua Mandarina, propterea quod fere omnia verba singula ex pauca morphemata formantur, et huius morphematum significatus haud umquam cum combinantur commutantur. Alia morphemata separatim adhiberi possunt, alia astricta sola ut affixa; alia eorum significatum in combinatione attinent, alia significatum amittunt vel commutant.

Pronomina

Plerumque nomina Sinca secundum numerum grammaticum et casum grammaticum non declinantur. Quod infra in sectione nominata **Constructiones "de"** disputatur, suffixum 的 *de* plerumque ut munus genetivum efficiatur adhibetur. Et numerus grammaticus solus datur per dictiones mensurae, quorum exempla quidem infra in sectione nominata **Grammatica#Dictiones mensurae** ostenduntur: e.g. Zhe4 ge nan2hai2zi = hic puer; sed Zhe4 xie1 nan2hai2zi = hi pueri.

Pronominum autem personalium numerus pluralis indicare solet suffixum 们/們 *men* addendo.

pronomina Personalia[8]

<table>
<tr><th>Persona</th><th colspan="2">Singularis</th><th colspan="2">Pluralis</th></tr>
<tr><th rowspan="2">Primus</th><td colspan="2" rowspan="2">我
wǒ
ego/me/mihi</td><th>Exclusivus</th><th>Inclusivus</th></tr>
<tr><td>我們/我们
wǒmen
nos/nobis</td><td>咱們/咱们
zánmen
nos/nobis (et tu/te/tibi et vos/vobis, etc.)</td></tr>
<tr><th rowspan="2">Secondus</th><th>Communis</th><th>Comis</th><td colspan="2" rowspan="2">你們/你们
nǐmen
vos/vobis</td></tr>
<tr><td>你
nǐ
tu/te/tibi</td><td>您
nín
tu/te/tibi</td></tr>
<tr><th>Tertius</th><td colspan="2">他, 她, 它
tā
ille/illum/illi, illa/illam/illi, illud/illud/illi</td><td colspan="2">他們/他们, 她們/她们, 它們/它们
tāmen
illi/illos/illis, illae/illas/illis, illa/illa/illis</td></tr>
</table>

Praefixa nominum

Pauca praefixa habentur:

Praefixa Mandarina

Character	Litteratura Hanyu	Significatus	Exemplum
老/小	lao3-/xiao3-	vetus/iuvenis cognomine addantur ut agnomina formentur	lao3wu3 = Quintus (filii agnomen)
第	di4-	numero addatur ut numeri ordinales formantur	di4wu3 = quintus
初	chu1-	numero addatur ut primi decem dies mensis lunaris indicentur	chu1wu3 = quintus dies mensis lunaris
可	ke3-	adiectivo addatur ut novum verbum creetur significu fere Latine *-abilis* habente	ke3ai4 = amabilis (ubit ai4=amare)[9]
好	hao3-	bene, bonus	hao3kan4 = pulcher seu bene visum (kan4=videre/spectare/legere)
難	nan2-	male, difficile	nan2kan4 = turpis, difficile visum

Suffixa nominum

Mandarina nominum suffixa

Character	Litteratura Hanyu	Significatus	Exemplum
的	-de	genetivus	ta1de shu1 = eius liber
們 / 们	-men	solum pronominibus et polisyllabicis hominum nominibus additur ut pluralis indicetur	wo3men = nos (ubi wo3 = ego); lao3shi1men = doctores (ubi lao3shi1 = doctor)
學 / 学	-xue2	fere idem ac Latine '-ologia'	dong4wu4xue2 = zoologia (ubi dong4wu4 = animal)
家	-jia1	fere idem ac Latine '-ista'	dong4wu4xue2jia1 = zoologus
化	-hua4	quo creatur verba ex nominibus, fere Latine 'facere' aut 'fieri'	mei3hua4 = pulchram facere; e4hua4 = deteriorare (inoptabilis fieri)
字	-zi	multis morphematis astrictis additur cum ut nomina singula adhibentur[10]	er2zi = filius; zhuo1zi = mensa; yi3zi = cathedra; ding1zi = clavus; mao4zi = petasus; ku4zi = bracae
頭 / 头	-tou	multis morphematis astrictis additur cum ut nomina singula adhibentur	gu2tou = os (sceletum); nian2tou = notio; wai4tou = foras; mu4tou = lignum (materia); she2tou = lingua (organum); li3tou = intus/interior; shang4tou = super/supra; quian2tou = frons; hou4tou = posterior
兒 / 儿	-er	olim erat suffixum diminutivum; hodie multis morphematis additur praecipue in dialecto Pechinensi; extra urbem audiri et scribi non solet	niao3r = avis; gui3r = spectrum; ji3r = hodie; mie2r= cras

Suffixa verborum

Mandarina verborum suffixa

Character	Litteratura Hanyu	Significatus	Exemplum
了	-le	aspectus perfectivus	wo3 ai4le ni3 = ego te amavi (non idiomaticum)
著 / 着	-zhe	interdum ut aspectus imperfectivus seu durativus indicetur[11]	wo3 ai4zhe ni3 bu shuo1 hua4= ego te amans non dico loquelam
過 / 过	-guo	aspectus experientialis (res iam habetur)	wo3 ai4guo ni3 = ego (antea) iam te amavi

Reduplicatio

Composita nominalia

Genus	Exemplum 1	Exemplum 2	Exemplum 3
idiomaticum	feng1liu2 (ventus-fluxus) = amorabundus	mao2dun4 (pilum-scutum) = contradictorium	xiao3-shuo1 (parva-loquela) = mythistoria
duobus substantivis appositis	hua1mu4 (flos-arbor) = vegetatio	fu4mu3 (pater-mater) = parentes	guo2jia1 (regnum-domus) = patria
sensu genetivi loci	hai3gou3 (mar-canis ~ maris canis) = phoca	je4tung1sha1fa (sessorium-torus) = sessorii torus	fan4guan3 (cibus-taberna) = caupona
sensu genetivi generis	tie3-yan2zi3 (ferrum-atomus) = ferri atomus	xin1zang4bing4 (cor-morbus) = morbus cardiacus	ji1dan4 (pullus-ovum) = pulli ovum
sensu genetivi causae	yu3mao4 (pluvia-petasus) = petasus pluvialis	you2ji2 (oleum-macula) = macula oleo facta	nai3ping2zi (lac-ampulla) = lactis ampulla
substantivo cum adiectivo coniuncto	xiang1cai4 (fragrans vegetal) = coriander	re4xin1 (calidum cor) = enthusiasticus	mei3shu2 (pulchra ars) = ars bella
substantivo cum mensurae dictione coniuncto	bu4pi3 (vestis-ulna) = vestis materia	ma3pi1 (equus-mensurae dictio) = equi	chuan2zhi1 (navis-mensurae dictio) = naves
adiectivo cum adiectivo coniuncto	hao3huai4 (bonus-malus) = qualitas	da4xiao3 (magnus-parvus) = magnitudo	leng3re4 (frigidus-calidus) = temperatura

Composita verbalia

Genus	Exemplum 1	Exemplum 2	Exemplum 3
verbo cum verbo effectum indicante coniuncto	da3po4 (icere-ruptum) = rumpere	taio4guo4 (salire-transire) = salire trans	mai3dao4 (emere-advenire) = emere posse
verbo cum verbo actionis directionem indicante coniuncto	song4lai2 (mittere-venire) mittere huc (ad locutorem)	song4qu4 (mittere-ire) = mittere illuc (ab locutore)	song4hui2 (mittere-retroire) = remittere
verbo cum verbo actionis statum indicante coniuncto	chang4wan2 (canere-perficere) = canere perfecit	chang4zhao2 (canere-accuratus fieri) = accurate canit	zhan4zhu4 (stare-persistere in tenendo)= consistere
gratuita seu disambiguitatis causa	gou4mai3 (venum petere-emere) = emere (cf mai4 = vendere)	ci4shan4 (benevolens-benevolens) = benevolens	
nomine ablativo casu verbo affixo → aut verbum aut nomen	qiang1bi4 (sclopetum-necare)-sclopeto necare	feng1xing2 (ventus-ire) = in modis fieri, moda	bu4xing2 (passus-ire) = ambulare
verbo cum obiecto coniuncto → vel nomen vel verbum vel adverbium	chao3fan4 (frigere-oryza) = oryza fricta	shuo1huang3 (dicere-falsum) = mentiri	zhuan3yan3 (vertere-oculus) = derepente, confestim
subiecto cum verbo (seu adiectivo) coniuncto → aut nomen aut adiectivum	tou2teng2 (caput-dolere) = dolor capitis	yan3hong2 (oculus-ruber) = invidia	ming4ku3 (vita-amara) = infortunatus
adverbo cum verbo coniuncto → adiectivum	zi4dong4 (auto-movere) = automaticum	dan1shi2 (in tempore-fieri) = tunc	
duobus adverbis coniunctis → adverbium	zuo3you4 (ad laevam-ad dextram) = circiter	gan1cai2 (iam-iam) = iamiam	xian4lai2 (versus-venire) = umquam

Grammatica

Celeberrimum exemplum linguae analyticae est lingua Mandarina, propterea quod verba structura interna fere carent. Itaque munera grammatica dictionum ordine particulisque insertis signantur. Sententiarum constructio fit verbis tamquam insulatis secundum certum carmen ordine dispositis. A grammatica Latina enim multo discrepat Mandarina, quod in ea

1. Nomina non declinantur
2. Verba non coniugantur
3. Pronomina relativa non habentur
4. Quaedam adiectiva eadem ac verba fungi solent

Omnia declinationis munera decernuntur, praecipue per nominum positionem verbi respectu, per usum dictionum mensurae, per praepositiones et postpositiones, per adiectiva, et, interdum, per suffixa. Coniugationis munera praecipue per suffixa et adverbia dantur, et quoque saepe per compositionem cum verbis allis aut cum nominibus subiectum seu obiectum indicantibus (quod in sectione morphologia supra describitur). Munera pronominum relativorum dantur per usum particulae 的 *de*, quae etiam ut sensus genetivus detur adhibetur.

Syntaxis

Dictionum positio verbi respectu dependet a destinato dictionum significatu:

- quod ad verbi obiecta, dependet ab utrum eius siginificatus aut definitivum aut indefinitivum est: obiectum definitum (ab audiente notum) ante verbum expectatur, indefinitum post.
- quod ad phrases temporum, dependet ab utrum temporis sensus est punctualis (vg. *tertia hora*) aut durativus (*tres horas*): phrasis sensu puctuali ante verbum expectatur, sensu durativo post.
- quod ad phrases locativas, dependet ab utrum sensus verus est locativus (vg.*in mensa*) aut directionalis (*in mensam*) (qua locus ab actione productus monstratur): phrasis sensu locativo vero ante verbum expectatur, sensu directionali post.

Habemus igitur quia si Latine dictionis sensus a casu ablativo redditur tunc Sinice ante verbum ponitur; si Latine a casu accusativum tunc post verbum.

Materia ante reliquum

Mandarinus dictionum ordo etiam multo discrepat a Latino propterea quod sententiae attentio quidem non habetur in subiecto verbi nec in verbo ipso, sed in materia, de qua universa reliqua sententia tractat, et quae in initio sententiae ponitur. Quae materia Latine per ablativum absolutum saepe reddi potest. Verbi gratia:

> Ren4shi nin2, wo3 zhen1 gao1xing4. (Incidere te, ego multum felix.) = Me tibi incaso, ego multo gaudeo.

Materia potest esse clausula, phrasis, subiectum, obiectum, vel alia pars sententia. Verbi gratia, in insequente sententia, canis est materia et obiectum:

> gou3 wo3 bu xi3huan1 (canis ego non iuvare) = canis me non iuvat/canem ego non amo/canis mihi non placet.

quia iuvare Mandarine est verbum transitivum cuius obiectum canis esset. Observatur autem quod cum materia in initio ponitur, ordo sententiae reliquae semper conservatur. Tunc, aliter significaret sententia, ubi scribitur,

> gou3 bu xi3huan1 wo3 (canis non iuvare ego) = canem ego non iuvo/canis me non amat/cani ego non placeo.

Aspectus SOV et SVO

Propterea, sententiae Mandarinae eádem frequentiá praebent adiuncta sententiarum generum VO et OV:

Sententiae Mandarinae adiuncta habent quae et ordinem OV et VO ut naturalem suggerunt[12]

Adiuncta SVO	Adiuncta SOV
Ordo VO invenitur	Ordo OV invenitur
Praepositiones habentur	Postpositiones habentur
Verba auxiliaria locum ante verbum habent	Phrases praepositiones locum ante verbum habent (praeter phrases temporis locique)
Sententiae complexae fere semper sunt SVO	Clausulae relativae locum ante nomen habent
	Clausulae genetivae locum ante nomen habent
	Aspectus indicatores verbum sequuntur
	Nonnulli adverbiales locum ante verbum habent

Verba

Propterea quod declinatio et coniugatio non adhibentur, grammatica dictionis munera facilius quam in lingua Latina commutantur. Verbum 給/给 gei3 (dare) etiam est praepositio velut "ad" ante nomen posita, quae homo cui donatur indicat. Plerumque et nomina adiectiva simul munus verbi stativi agunt.

Adiectivum idem ac verbum stativum valet

In lingua Mandarina non licet verbo shi4 (esse) uti in sensu stativo, ad subiectum cum adiectivo praedicativo lingandum. Complura autem adiectiva idem ac verba stativa valent. Dicendum est igitur:

> Ren2 hao3 (homo bonus) = Homo est bonus

et numquam

> Ren2 shi4 hao3 (prave)

Iterdum etiam rescribi potest

> Ren2 shi4 hao3 de (Homo est (homo) qui bonus est) = Re vera hic homo est homo bonus. (inusitatius vel emphasis causa)

ubi subiectum ad sententiae finem mente iterum habetur modificatum a phrasi adiectivali.

Tempus et aspectus

Plerumque verba coniugantur secundum aspectum—aut perfectivum aut experientialem aut imperfectivum—per suffixa addita: -了-le, -著 -guo, et -過-zhe, respective. Aspectus autem imperfectivus/durativus, cum verbum activitatem actualem reddit, in lingua normali per particulam indicatur durativam 在 zai4 ante verbum positam.[13]

Numquam autem secundum aspectum coniugantur, nec verbum 是 shi4, nec verba auxiliaria sicut 能 neng2 (posse), nec verba adiectivalia.

Tempus semper indicare licet per adverbia et phrases locativas. Quia aspectus omnino a tempore indicato separatur, ne per -le tempus praeteritum reddatur, homines Europaei difficile correctum usum -le discunt.

Constructiones "de"

Tres sunt particulae Mandarinae *de*, in tabula quae sequitur monstratae, quae identice tono quinto (sine vi) pronuntiatae sunt. Omnes tres, quamquam inter se exacto munere grammatico discrepant, postponiuntur dependente adiectivo, clausula, pronomine, phrasi, principali nomine, verbo, vel modificando praedicato. *de* possesivum 的 quidem est frequentissimum omnium linguae Mandariciae verborum.

Particulae Mandarinae *de* pronuntiatae

Nomen	Character	Functio	Exemplum
de adverbiale	地	ut adverbia ex adiectivis creantur	màn màn de = valde lente
de complementum potentiale	得	post verbum ut eius exitum clausula insequentia indicet vel evaluet	Tā shuō de hěn hǎo = ille loquitur bene
de possessivum	的	ut relatio genetiva, associativa vel descriptiva inter nomina detur, vel inter nomina et clausulas relativas, inter alios usus...	Hao3 de peng2you (bonus *de* amicus) = amicus qui bonus est [confer autem: Hao3 peng2you (bonus amicus) = amicus ille bonus (de quo iam locuti sumus) dà de yǐzi (magnum *de* sedes = sedes quae magna est) = cathedra magna Ta1 mai3 de qi4che1 hen3 gui4 (ille emere *de* autocinetum valde carum) = autocinetum, quod is emit, valde carum est. sao3di4 de (everrere solum *de*) =qui solum everret (converritor) vel quo solum everretur (scopae) song4 xin4 de (adferre carta *de*) = qui cartas adfert (tabellarius)

Rogationes

Sunt tres modos quo res rogari possint:

- Usu pronominum interrogativorum
- Usu particulae interrogativae 嗎/吗 ma ad finem sententiae
- Usu constructionis ita-non

Pronomina interrogativa

Quamquam lingua Mandarina pronominibus relativis caret, ea tamen pronomina interrogativa vero praebet. Cum autem pronomina adhibentur, ordo verborum in sententia non mutatur, et pronomen solum loco nominis vel adverbii ponitur.

Pronomina interrogativa Mandarina

Pronomen Latinum	Pronomen Sinicum	Litt. Hanyu	Exemplum
Quis/Qui/Quae	誰 / 谁	shei2	誰 拉丁語 說 得 好? Shei2 La1ding1yu3 shou de hao3? (Quis lingua latina loqui *de* bonus?)=Quis lingua Latina loquitur bene?
Quid/Quae	甚麼 / 什么	shen2me	Ta1 shuo1 shen2me? (ille dicere quid?) = Quid dixit ille?
Quando	甚麼時候 / 什么时候	shen2me shi2hou	shen2me shi2hou ta1 shuo1hua4 le (Quid tempus ille loqui loquelam *le*) = Quo tempore ille locutus est?
Quomodo	怎麼 / 怎么	zen3me	
Qualis/Qui/Quae/Quod	哪	na3	
Ubi= Quali loco seu Quo loco	哪裡 /哪里	na3li3	
Quanto	多少	duo1shao (plusminus)	
Cur, Qua re, Qua de causa	為什麼/为什么	wèishénme	為 etiam praepositione quae munus dativum indicat fungitur

Particula interrogativa *ma*

Particula interrogativa 嗎/吗 *ma* posita ad sententiae finem, omnia rogari possint, e.g.:[14]

- Jīnní: Nǐ yě shì Měiguórén ma?
- Virginia: (Tu quoque Americanus *ma*) =Esne quoque Americanus?
- Ōuwén: Bú shì. Wǒ shì Yīngguórén. Nǐ ne? Nǐ shì nǎ guó rén?
- Eugenius: (Non esse. Ego esse Britannicus. Tu et? Tu esse qualis natio homo?)=Minime, Britannicus sum. Tune? Qualis nationis civis es?
- Jīnní: Wǒ shì Fǎguórén.
- Virginia: (Ego esse Francogallicus)=Francogallica sum.

Constructio ita-non

Rogationes generis A-non-A saepe et late in lingua Mandarina adhibentur, e.g.:[15]

- *Nǐ yào bu yào chī júzi?* (Tu velle non velle comedere citrus sinensis) = Vis non vis comedere citrum sinensem?
- *Yào.* (Velle)=Volo
- *Bu yào.* (Non velle)=Nolo

Mensura et specificatio

Omnia nomina Sinica innumerabilia sunt, ubi numquam possumus *quinque aquae* dicere et semper necessarium est dicere *quinque litra aquae* aut *quinque ampullae aquae* aut *quinque varietates aquae* et phrases similes ubi nomen mensurae unitatem specificans inter numerum et substantivum semper interponitur. Haec nomina, aut dictiones mensurae ut in lingua Mandarina nuncupari solent, quoque simul funguntur ut omnia nomina in classes secundum genera ordinentur.

Dictiones mensurae

Quamquam in lingua Latina necesse est nomina cum declinatione eius discere, in lingua Mandarina necesse est discere quodque nomen cum eius principali dictione mensurae. Infra ostentantur multae dictiones mensurae quibus quotidie adhibentur, e.g.:

Mandarinae mensurae dictiones

Rei classis	Dictio mensurae	Litt. Hanyu	Exemplum
Singuli homines et res generales	個/个	ge4	liang1 ge nan2ren2 = duo viri
Doctor, medicus, vigil, vel alius homo augustus vel honore dignus	位	wei4	liang1 wei4 lao3shi1 = duo doctores
Numerus pluralis non specificatus	些	xie1	zhe2 xie1 nan2hai2zi = hi pueri
Singulus liber et res quam in voluminis metiuntur	本	ben3	yi ben3 shu1 = unus liber
Vehiculum	輛/辆	liang4	san1 liang4 che1 = tria vehicula
Res plana	張/张	zhang1	san1 zhang1 zhuo4zi = tres mensae
Singula res parva	塊/块	kuai4	
Res quam in ampullis metiuntur	瓶	ping2	
Res longa, stili, sclopetis, etc	支	zhi1	
Res gravis, machina, vel instrumentum	臺/台	tai2	yi1 tai2 dian4nao3 = unum computatrum
Conclaves	間/间	jian1	
Ianua vel fenestra	扇	shan4	
Arbor	顆/颗	ke1	
Animalium, pars corporum	隻/只	zhi1	yi1 zhi1 mao1 = singulus cattus

Numeri

Infra ostentantur numeri Mandarini.

Numerus Arabicus:	0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	100	1000	10000
Character Sinicus:	○	一	二	三	四	五	六	七	八	九	十	二十	百	千	万
Litteratura Hanyu:	líng	yī	èr	sān	sì	wǔ	liù	qī	bā	jiǔ	shí	èrshí	bǎi	qiān	wàn

Ut maiores rerum quantitates dentur, hi numeri secundum systema decimale coniugantur, e.g.:

六千一百五十四 個 人 liu4qian1yi1bai1wu5shi2se4 ge ren2 (sex mille unum centum quinque decem quattuor *ge* homo) = 6154 hominum
一百〇四 個 人 yi1bai1ling2se4 ge ren2 (unum centum zerum quattuor *ge* homo) = 104 hominum
四十二 個 人se4shi2er4 ge ren2 (quattuor decem duo *ge* homo) = 42 homines
兩 個 人 liang3 ge ren2 (par) = 2 homines (usitate 兩 'liang3' sic adhibetur ut 'duo homines' vel 'duo res' dicatur, et numquam 'er4ge ren2')

Fractiones

Fere omnes fractiones dantur scribendo 'YY fēn zhī XX' ubi 'YY fēn' universum datur ex quo partes deductas per 'zhī XX' specificantur.

麵包 的 八分之一 miànbāo de bā fēn zhī yī (panis *de* octo omnis pars singulus) = panis octava pars
薪金 的 百分之二十 xīnjīn de bǎi fēn zhī èrshí (centum omnis pars duo decem) = salarii viginti centessimae partes = 20% salarii

Fractiones autem decimales velut 5.2 'quinque punctum duo' dantur phrasibus XXXX 點 YYYY, e.g. 五點二 wǔ diǎn èr (quinque *diǎn* duo) , ubi XXXX pars universa datur et YYYY pars fractionalis.

Numeri ordinales

Dies et horae

Pronomina demonstrativa et articuli

Lingua Mandarina omnino caret articulis. Sed munus articuli indefiniti plerumque datur usu phrasium generis:

yi1 + *dictio mensurae* + *substantivum* = 'singulum vel quoddam substantivum'.

Munus articuli definiti dari potest omnino vitando dictionis mensurae usum et substantivum in materia in initio sententiae ponendo:

substantivum, id est bonum = 'Substantivum, quod tu audiens iam scis, est bonum.'.

Etiam sensus articuli definiti datur pronominum demonstrativorum usu:

那 na4 + *dictio mensurae* + *substantivum* = ' illud substantivum',

這 / 这 zhe4 + *dictio mensurae* + *substantivum* = ' hoc substantivum'.

Aliae particulae

Particula dicitur omnis dictio quae nec nomen nec verbum est.

Praepositiones

Postpositiones

Adverbia

Adverbia Mandarina

Character	Litt. Pinyin	Significatus	Exemplum

Comparationes et constructiones speciales

Notae

1. "in arte linguae Mandarinae" (vide p. 39 (https://books.google.com/books?id=G2B8sg2ZpTQC) apud *Google Books*)
2. Confer quia Tong1hua4 etiam "colloquium habere" et "colloqui per telephonum" significare potest; et Pu3tong1 etiam "late communicata" seu "communis" seu "vulgaris" significare potest.
3. Liberlibri SARL. "FOURMONT, Etienne. Linguae Sinarum Mandarinicae hieroglyphicae grammatica duplex, latinè, & cum characteribus Sinensium. Item Sinicorum Regiae Bibliothecae librorum catalogus" (http://web.archive.org/web/20110713203742/http://www.liberlibri.com/coulet_fourmont.htm) **(Francice)**. Liberlibri.com
4. Bellassen, Joël & Zhang Pengpeng (1989). *Méthode d'Initiation à la Langue et à l'Écriture chinoises*. La Compagnie. ISBN 2-9504135-1-X.
5. Data excepta ab Norman, Jerry. *Chinese*. New York: Cambridge University Press. 1988, p. 72. ISBN 0-521-29653-6.
6. 《異體字字典》網路版說明 (http://dict.variants.moe.edu.tw/start.htm) Situs interretialis pro "The Dictionary of Chinese Variant Form", pagina introductoria
7. Surendran, Dinoj and Levow, Gina-Anne (2004), "The functional load of tone in Mandarin is as high as that of vowels" (http://www.cs.uchicago.edu/~dinoj/research/fltonemandarin.pdf), *Proceedings of the International Conference on Speech Prosody 2004*, Nara, Japan, pp. 99–102.
8. Ex Yip, p. 47 (http://books.google.com/books?id=O00hsglbLZoC&printsec=frontcover&lr=#PPA47).
9. etiam cum verbis quae hodie numquam singulatim inusu videntur combinatur: ke3xi2 = infeliciter; ke3jian2 = evidenter; ke3lian2 = miserandus
10. Olim zi3 puer significabatur
11. aspectus imperfectivus saepius singulatim per verbum auxiliare zai2 indicatur
12. Quae adiuncta proposita sunt a Greenberg, cui locus adlatus est hic: p. 23, *Mandarin Chinese, a Functional Refernce Grammar,* Charles N. Li et Sandra A. Thompson, University of California Press, Berkeley, CA, 1981.
13. Nonnullae dialecti Mandarinicae coniuncte zai4 et -zhe adhibent.
14. http://en.wikibooks.org/wiki/Chinese_(Mandarin)/Lesson_1
15. Li, Charles N., and Thompson, Sandra A., *Mandarin Chinese: A Functional Reference Grammar*, Univ. of California Press, 1981.

Nexus interni

- Lingua Mandarina
- Pinyin